



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Statv Religionis Christianae, Per Evropam, Asiam,
Africanam, Et Orbem Nouum, Libri IV.**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1619

Cap. XLIV. De Austria aliisq[ue] Prouincijs vicinis, ad gentem Austriacam spectantibus, vt Tirolensi Comitatu, Stiria, & Carinthia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11108

habet, & *Alba Iulia*, Principis sedes. In duabus istis posterioribus vrbibus olim sua Collegia habuerunt Patres Societatis IESV, à Christophoro Batorio, Stephani Poloniæ Regis fratre, & in Principatu successore dotata. Quorum quidem Patrum operâ, anno 1590. Christianus Francus Albæ Iuliæ hæresim publicè abiurauit. Habebat item Alba Iulia Episcopum, Colociensi Archiep. suffraganeum.

Præter Lutheranos & Calvinistas, in hac prouincia plurimi sunt Arianismi sectatores: quam hæresim anno 1566. illuc inuexit Franciscus David, procurante Francisco Stancaro, Italo, Ioannis Sepusij Principis Medico. Quod venenum inde postea in Hungariam, Poloniam, vicinasque Prouincias emanauit.

Claudiopoli insigne Seminarium fundauit Gregorius XIII. Papa, cum dote amplissima, quam postea Stephanus Rex Poloniæ auxit.

CAPVT XLIV.

DE AVSTRIA, ALIISQVE Prouincijs vicinis, ad gentem Austriacam spectantibus.

Austria, nobilissima Germaniæ regio ad Danubium, habuit primum

mum Marchiones, postea Duces, demum Archiduces, quibus hodieque paret. Sunt in ea vrbes Episcopales duæ, *Vienna*, caput prouinciæ, & *Noua Ciuitas*. Austriacam historiam libris 4. VVolfangus Lazius comprehendit. De antiqua & vera origine gentis Austriæ siue Habsburgicæ libros 7. anno 1605. Mediolani publicauit Franciscus Guillimannus, historiarum Professor Friburgi Brisogix. Exstant & Annales Austriæ per Gerardum Roium, quos Oeniponti anno 1600. publicauit.

Duo sunt Episcopatus in Austria, Viennensis, & Neostadiensis, quem vnà cum Labacensi, in Carniola, anno 1463. Paulus II. instituit, Frederico III. Imp. petente. Vienna habet Academiam non ignobilem, quæ ad Doctoratum non admittit quempiam, nisi præstitâ prius fidei Catholicæ professione, iuxta Pij IV. diploma, & decretum conforme anno 1581. à Rudolfo II. publicatum.

DE TIROLENSI COMITATV.

Tirolenfis Comitatus iacet inter Athesin & Oenum flumina, interque Alpium iuga: habetque omnis generis metalla nobilissima. Caput prouinciæ est *Oenpons*, vrbs egregia ad *Oeni ripam* sita, se-

sedes Principis, & Parliamenti ditionum Austriacarum. In qua vrbe, vt & in Halensi insignia possident Collegia Patres Societ. Iesu, magno prouincialium bono, à Ferdinando Imp. fundata: qui & Viennense in Austria, ac Pragense in Bohemia excitauit.

Fuit hæc prouincia inter Austriacas à multis retrò annis veræ Religionis studiosissima: quod magna ex parte acceptum debet zelo *Ferdinandi* Archiducis, eiusque trium sororum pietati, quæ Halis & per totam Germaniam, imò orbem nota est.

In medio prouinciæ sita est *Brixina*; cuius vrbis Episcopus, Salisburgensi Archiepiscopo suffraganeus, Serenissimus Archidux Leopoldus dioccesim suam ab omni hæreseos labe puram conseruat: quod & vicinus Antistes Tridentinus, ex gente *Madrucia*, egregiè præstat.

DE STIRIA.

Stiria metropolis est Græcium, quod insignem habet Academiam, ac Societ. *Gratz.*

IESV Collegium. Prouinciam totam ab hæresi expurgauit Ferdinandus Archidux, qui nunc Rex est Bohemiæ & Hungariæ; nouarum sectarum studiosis aliò migrare iussis. Quod illi odio verti non debet,

110 DE STATV RELIG. CHRIST.

bet, cùm passim Lutherani ac Calviniani in Germania Principes suis è ditionibus nostros pellant, & suis quisque subditis suã Religionem præscribat.

Ceterùm Stiria Episcopum habet Secouiensem, Salisburgensi Archiepisc. suffraganeum.

DE CARINTHIA.

IN Carinthia duo sunt Episcopi, Gurcensis & Lauentinensis, Salisburgensi Archiepiscopo suffraganei. Gurcensis in opido Strasburgo plerumque residet: quo fit, vt illius incolæ ac vicini præ ceteris nostræ Religionis sint magis studiosi atque obseruantes.

CAPVT XLV.

DE BAVARIAE DVCATV.

PVrum ac putum Religionis Orthodoxæ cultum Principibus suis Bavaria debet, qui iam inde ab initio Lutheranismi fortiter à finibus suis omnes sectas arcuerunt, & porrò arcent.

Georgius certè Dux zelum suum laudatissimum primus ostendit, qui solus ferè ex Germaniæ Principibus, Carolo V.
Im-